

PROGRAMM

des

GROSSHERZOGLICHEN GYMNASIUMS ZU BENSHEIM.

als

EINLADUNG

zu den

öffentlichen Prüfungen,

dem

REDE-ACT

und der

PREISVERTHEILUNG

am Schlusse des Schuljahres 1859/60.

INHALT:

1. Abhandlung des Gymnasiallehrers Dr. Stoll: *De versu Saturnio.*
2. Schulnachrichten.

BENSHEIM, 1860.

Buchdruckerei von Gotthard Beger.

De versu Saturnio.

Quum hoc tempore de metro saturnio multum viri docti inter sese certent, constitui, ut tandem firmum fundamentum jaceretur, quo nisi scrutantes nova atque majora invenire possent, omnia, quae bene atque recte hac in provincia praestita sunt, examinatis atque perpensis veterum testimoniis atque perlustratis inscriptionibus hoc metro exaratis, singulari commentatione exponere.

Atque qui primus via atque ratione ad difficillimum ceterisque maxime dissimile metrum expediendum progressus est, ut in omnibus rebus metricis, *Godofredus Hermannus* fuit, quem laudibus efferre in metrica arte, qua principem eum fuisse omnium ab omnibus agnoscitur, meum certe esse non potest. Is in elementis doctrinae metricae pag. 606—640, ab sola veterum grammaticorum doctrina exemplorumpue ab iis allatorum consideratione profectus, saturnium versum asynartetis Graecorum adnumerandum censet, cujus haec sit forma:

◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ || ◡ ◡ — ◡ — ◡

cum caesura post priorem syllabam quarti iambi, ea tamen libertate concessa, ut dactylus vel spondeus pro trochaeo poni possit excepta sede ultima cf. pag. 611 sqq. Ad eas deinde leges reliquias versus saturnii in carmine saliarum apud Marinium (gli atti e monumenti de fratelli Arvali tab. XLl), in Livio, in fragmentis Livii Andronici et Naevii, aliis, conservatas ea, qua in Graecis metris uti consueverat, severitate exegit. Qua in re constituenda dupliciter errasse mihi videtur, Primum, quod grammaticorum judicio, quorum aetate jam dudum hic versus ex usu evanuerat, nimium tribuit, qui quum Graecorum tantum versus metiendi rationem, quam postea etiam Romani amplexi sunt, atque ne eam quidem perfecte novissent, ex iis tantum

exemplis veterum saturniorum, quae huic disciplinae convenire videbantur, doctrinam versus saturnii constituebant, omnes ceteros versus, qui his legibus subjungi non poterant, rudis antiquitatis licentia excusandos potius, quam arte quadam atque consilio procusos esse rati. Tum inscriptiones, quae unicae saturniorum metiendorum certi testes sunt, prorsus neglexit. Atque quam parum grammaticorum doctrina cum vera atque genuina saturnii forma conveniat, poterat jam *Atilii Fortunatiani* testimonium pag. 2679 P. documento esse: „De saturnio versu dicendum est, quem „nostri existimaverunt proprium esse Italicae regionis: sed falluntur; a Graecis enim „varie et multis modis tractatus est, non solum a comicis, sed etiam a tragicis: „nostri autem antiqui, ut vere dicam quod apparet, usi sunt eo non observata lege „nec uno genere custodito inter se versus: sed praeterquam quod durissimos „fecerunt, etiam alios breviores alios longiores inseruerunt, ut vix invenerim apud „Naevium, quos pro exemplo ponerem.“ Hac re atque *Charisii* grammatici fragmento, de quo mox dicemus, inductus *Niebulrius*, quamquam nusquam perspicue quid de saturnio sentiret, aperuit, existimasse videtur, metrum saturnium multis modis exstitisse multipliciter inter sese diversis lyricisque numeris decurrisse, secundum ea, quae in adnotatione 687 ad tom I. hist. Rom. ed. 3. pag. 285 scribit: „Die Darstellung des Wesens der altrömischen Versarten als lyrischer und höchst „mannichfaltiger bis in die Mitte des 7. Jahrh. d. St. gebräuchter und sehr „ausgebildeter Numeri, bleibt vorbehalten, bis ich ein diese Sache entscheidendes „Kapitel eines alten Grammatikers über den *Versus Saturnius* „herausgeben werde.“ Exemplum horum lyricorum metrorum affert legem horrendi carminis apud Liv. I, 26:

Duúmviri pérduellionem júdicent
 Si a duúmviris provocárit
 Provocátione certáto
 Si vincent caput óbnúbito
 Infélici árbore réste súspéndito
 Vérberato intra vel éxtra pomóerium.

Versum, qui saturnius proprie vocatur, agnoscit in monumentis Scipionum adnot. 685 ibid. Sed ne hujus quidem ei visum esse certam rationem exstitisse, ex apicibus apparet, quos accentus vel ictus metrici significandi causa adjecit, quum ne parem quidem numerum syllabarum metrico ictu elatarum in omnibus admitteret.

Ut vero exemplum proponam, quantum in errorem opinio praejudicata virum alioquin acutissimum ingeniosissimumque inducere potuerit, versus apud Orosium IV, 1 ex Livii libris amissis servatos afferam, quos ille tom. II. pag. 560 adn. nimio studio probandi, Livium in componendis historiaram libris ex fontibus hausisse Ennio antiquioribus sine ulla dubitatione saturnios esse affirmavit:

Qui antehac (antidhac Nieb. emendat) invicti fuere viri, pater optime Olympi
Hos ego in pugna vici victusque sum ab isdem.

At vero hi versus, qui latinam interpretationem graeci carminis, quod Pyrrhus victis Romanis in templo Tarentino affixisse dicitur, continent, dactylici sunt, sine dubio Ennio vindicandi, ut recte statuit Vahlen Enn. annal. 198. pag. 32, qui eos ita restituit:

Quei antehac invicti fuerunt, pater optime Olympi
Hos et ego in pugna vici, victusque sum ab isdem.

Eum grammaticum autem, ex cujus fragmento Niebuhrius novam se constitutum esse versus saturnii doctrinam pollicitus est, nulli dubitationi subjectum est, *Charisium* esse, cujus codicem antiquissimum ex bibliotheca Jani Parrhasii in bibliothecam regiam Borbonicam illatam quum Niebuhrius Neapoli excuderet caput ineditum de versu saturnio repperit. Quod quominus ederet quum morte praematura prohiberetur, *Schneidewinus* ex Otofredi Muelleri apographo editionem ejus curavit Goettingae 1841, 4^o adjecto commentario, qui praecipue in fragmentorum ex veteribus auctoribus servatorum emendatione versatur. Idem caput iterum tractatum est ab *Henrico Keilio* Mus. Rhen. V, 4, Philol. III. pag. 20. Sed ex toto fragmento parvus tantum fructus ad nostrum pensum juvandum redundat. Etenim Charisius videtur ne cognovisse quidem metrum saturnium, sed omnes numeros, quibus veteres utebantur, liberiores, quam solitum est, saturnios putasse, ut ex verbis, quibus fragmentum ejus incipit, colligi potest: „Sunt item saturnii quinumdenum et senum-
„denum pedum, in quibus similiter novum genus pedum est et ipsum ametron, de
„quibus nihil praecipitur eoque nomine artios quidem est, et solent esse summi
„pterygiorum senumdenum, sequentes quinumdenum.“ Haec igitur praecepta quum jam Niebuhrium in errorem induxissent, intelligi jam potest, quomodo qui vestigia ejus sequebantur *H. Düntzerus* et *L. Lerschius* de versu quem vocant saturnio Bonnae 1838 hac in provincia versati sint. Scilicet *versum* saturnium, qui proprie

vocaretur, omnino non exstitisse putaverunt, sed *metrum*, saturnium ideo dictum, ut ab posterioribus metris, ex imitatione Graecorum profectis discerneretur. Saturnium autem metrum, ita praecipunt, nativo Romanorum ingenio productum, neque ad quantitatem syllabarum fieri neque totum e vi accentus pendere, sed ita comparatum esse, ut idem cuique versui syllabarum numerus tribuatur, eodem modo, quo id in linguis, quas nostri Romanicas appellant, fieri videmus. Nempe numerum, qualem metrici intelligant, in his versibus nullum esse, sed tantum normam quandam, qua cum sententiarum finibus versuum fines exaequantur. Quod *Grauerto* Append. ad Koenii librum de lingua epicorum Rom. pag. 256 tam delirum visum est, ut diceret, se haud scire, an totus illorum liber joci causa petulantia quadam juvenili conscriptus esset. Atque recte, quamquam idem etiam in ejus librum, qui eos refutavit, *Weisii* der saturdayische Vers im Plautus und an sich nach dem Zeugnisse der Grammatiker betrachtet. Duedlinburg und Leipzig 1839. cadit, qui quum Plautinos numeros in Plauto suo restituere non posset, facillima via ad saturniorum ruditatem, quibus omni modi licentiam concessam esse putabat, confugit. Qui vero primus, quamquam ab his omnibus, quos post Hermannum nominavimus, neglectus, ad hanc quaestionem aliquid emolumenti contulit, *Otfredus Muellerus* est, qui adnot. ad Varr. de lingua latina VIII., 3, 51, pag. 140, sine dubio Atilii Fortunatiani illo dicto, quod supra commemoravimus, permotus, scribit, verba a Varrone citata saturnium versum efficere, modo observetur, *penultimam thesin in hoc versuum genere persaepe supprimi et omitti plane*, cujus rei certissima esse testimonia in monumentis Scipionum, in quibus versus hujus generis legantur:

Taurásiám Cesáunam Sámníó cépit.

Ultra progressus est suppl. adnot. ad Festum v. Polubrum pag. 396, ubi, postquam saturnium versum a Festo servatum restituit pergit: „Ne autem saturnii carminis lex violata esse videatur, semel adnotabo, quibus saepe observatis passim in hoc libro usus sum: „saturnii versus formam neque ad eam normam adstringendam, quam proposuerunt et antiqui grammatici et recentiores, neque ita esse omnibus syllabarum quantitatis et positionis legibus solvendam, ut nuper censuerunt H. Duentzer et L. Lersch in libro de versu quem vocant saturnio. Quin imo forma ab antiquis tradita:

○ / ○ / ○ / ○ / || / ○ / / ○ / / ○

„plane justa est, modo unum observaveris ac tenueris, *supprimi posse theses omnes, excepta ultima, maxime penultimam.*“ Neque vero, ut consentaneum est, *Muelleri* de

sententia tollitur libertas jam ab Hermanno saturnio concessa. ut caesura pari jure aut retineatur aut negligatur, et ubique pro iambo anapaestus vel spondeus poni possit. Veteres igitur Romani in rhythmo thesin, duas arsibus inclusam, harum gravitate atque potestate ita quasi obstrepi existimabant, ut utrum aut una longa aut una pluriburve correptis syllabis contineretur, an prorsus negligeretur, nullius momenti esse putarent, Quippe ubi thesis deerat, aut arsis ita intendebatur, ut moram thesi impertiendam in se reciperet et ita longior fieret, aut post arsin vocis fiebat intermissio, ut thesis, quamquam non audiebatur, tamen intelligeretur. Cujus simile aliquid accidit apud Graecos in fine versuum catalecticorum, ubi in rhythmo necessario quae ex metro desunt supplenda sunt, ut etiam in musica arte pausa quae vocantur rhythmum non tollunt, sed ipsae contribuunt, ut efficiatur. Attamen ejusmodi licentias duri aliquid habere non erit qui infitietur, etsi in Romanorum ingenio id non mirabitur, quod tantum a Graecorum aberat elegantia atque sollertia. Nihilominus non deficient exempla ejusmodi metrorum etiam apud alias gentes, ex quibus nostri majores versu saturnio simillimo, quo carmen de Nibelungis conscriptum est, utebantur.

His cognitis nihil jam reliquum erat, quam ut hae licentiae accuratioribus finibus circum scriberentur. Quo in genere nihil praestitit *G. Th. Streuberus*, qui post Otofredum Muellerum scripsit „de inscriptionibus quae ad numerum saturnium referuntur Turici 1845“ sed illius adnotationes ad Varronem et Festum ne cognovisse quidem videtur, satis habens, nullis argumentis nisi sua ipsius sententia allatis affirmare, se credere non posse, in inscriptionibus Scipionum aliis, quae ad numerum saturnium referuntur, id metrum conspici, quamquam ipse concedit pag. 19 in monumento P. Scipionis, filii Africani, orationem esse „ornatam, elatam, verbis nobilibus, ordine vocabulorum non vulgari, proxime ad dictionem poeticam accedente.“ Quod porro contendit, Scipionum inscriptiones non posse saturnio numero ideo conscriptas esse, quia tum saturniorum usus Romae jam abolitus esset, id falsum esse demonstravi Philol. XI, 2 pag, 312. Contra *Ritschelio* in programmatis de inscriptionibus nonnullis saturnio metro scriptis quam feliciter res cesserit, ut tuo judicio concipias, ipsum disserentem exaudias: „Omnino, inquit, (ind. schol. aest. 1852 de titulo Mummiano) ita „sentio, ut praepostere egisse credam quicumque a poetarum fragmentis exorsi ad versuum „saturniorum legem eruendam perrexerint, certissimumque verae doctrinae fontem esse monumentorum exempla existimem, librariorum nulli vel incuriae vel libidini obnoxia. Qua „via ubi firmum fundamentum jeceris, tum demum expendendum erit, si quae forte res sint, „in quibus ab indagatae normae constantia Livii Naeviique ars discesserit, aliquanto plus „licentiae sibi sumens. Nam constans est sane quam monumenta legem et regulam servant,

„cujus etsi demonstratio atque probatio in aliam opportunitatem differenda est, tamen sum-
 „mam ipsam paucis sic comprehendere licet, *ut nec omittatur unquam vel prioris hemi-
 „stichii anacrusis vel alterutrius thesis finalis, nec unquam alteri hemistichio anacrusis
 „addatur, nec saepius quam in singulis hemistichüs semel reliquae theses supprimantur,
 „nec quicquam offensionis vel arsiüm solutio vel neglectio caesurae vel vocalium
 „hiatus habeat.*“ Atque haec omnia monumentis probantur, ut nihil tam perfectae doctrinae
 addi posse videatur, nisi quomodo, qui communiter in vetere Romanorum poesi regnare
 dicitur accentus, is cum quantitate syllabarum servanda exaequetur. Ritschelium vero ipsum
 existimare, in saturnio non semper accentum cum syllabarum quantitate prorsus convenire,
 ex numerorum delineatione colligi potest, quos quum nonnullis inscriptionibus saturnio metro
 conscriptis tum monumentis Scipionum ab ipso emendatis (Mus. Rhen. IX. pag. 1—19)
 vindicavit. Tamen nusquam rem uberius exposuit, quamquam non ita difficile fuit verum
 attingere. Nam quum tota doctrina accentus latini his legibus contineatur, ut praeter mono-
 syllaba nullum vocabulum oxytonon vel perispomenon sit, contra ut dissyllaba atque hyper-
 dissyllaborum ea, quae penultimam longam habeant, aut paroxytona sint aut properis-
 pomena, ea, quae penultimam corripiant, proparoxytona (cf. Diomed. lib. II, de accent.
 pag. 425 sqq. P. Prisc. de acc. lib. pag. 1286 P., Cic. orat. 18, 58, Quint. I. 5. 30—32,
 XII. 10, 33) quibus adde, antiquissimis temporibus vocabula proceleusmaticum vel paeonem
 quartum aequantia accentum in quarta a fine syllaba habuisse cf. Reisig. schol. gr. lat.
 pag. 273; ex attenta perlustratione omnium inscriptionum, quae huc facere videbantur, ad
 firmare possum, saturnium versum in eo tantum a severissima cum quantitate conciliandi
 accentus observatione deflexisse, *quod vocabula, quae integrum iambum aequant, ubique,
 quae spondeum et anapaestum, tantum in priore hemistichio ita reciperet, ut oxytona
 essent.* Cui legi non refragatur, si nonnumquam trisyllabae voces, quarum prima syllaba
 cum ultima praecedentis vocis coaluit, quasi sint iambicae aut spondaicae acuuntur. Neque
 laet causa hujus licentiae. Nam primum iambica vocabula hac libertate non concessa
 omnino in versu saturnio adhiberi non potuissent. Spondaica vero et anapaestica in priore
 hemistichio ad iambicorum licentiam adsimilatae sunt propterea quod, quum versus salvo
 accentu aut voce monosyllaba aut trium pluriumve syllabarum incipiendus esset, quae res,
 si semper rediret, et poetae et legenti summae molestiae fuisset, vox iambica oxytona ad-
 missa est. Jam vero quum sequente in metro iambo eadem difficultas denuo exoreretur,
 ea non potuit aliter expediri, nisi altera admissa iambica voce, idque in tertio pede iterum
 evenit, ut jam tres iambicae voces continuo sese exciperent. Quam consociationem veteris

poesis usus constanter respuit, ut de Plautinis numeris docuit Ritschelius praef. ad Plaut. pag. 210, quare pro iambis etiam trochaei et anapaesti admissi sunt. Contra in altero hemistichio aliter res se habet. Nam quum caesura pro cujusque arbitrio aut observari aut negligi posset, ut libera optio daretur, hoc modo $\underline{\quad} \cup \underline{\quad} \cup \underline{\quad} \cup$ an hoc altero $\cup \underline{\quad} \cup \underline{\quad} \cup \underline{\quad} \cup$ hujus hemistichii schema describeretur, majore licentia in eligendis vocabulis, quae initium ejus facerent, poetae gaudebant. Itaque nulla ratio supererat, qua trochaicis anapaesticisve vocabulis oxytonis etiam hac in parte saturnii locus concederetur. Sed nondum complexus sum omnem licentiam accentus in saturnio. Reliquum est enim, ut nullam res offensionem habere dicatur, si vox, quae legitimum accentum jam accepit, praeterea etiam in alia syllaba acutae vel praecedente aut eam excipiente aliis syllabis non interjectis accentum vel potius ictum metricum habeat. Quod nisi concessum esset, ex Ritschelii praeceptis supra commemoratis, theses in utroque hemistichio omitti posse, consequens esset, ubicumque thesis omissa est, caesuram metricam fieri debuisse, ut vocem monosyllabam vel dissyllabam (sc. iambicam) altera vox syllaba acuta incipiens excepisset, quod quanta difficultate impeditum sit, dici non potest, praesertim quum thesium omissio tam frequentata fuerit, ut vix saturnium invenias, in quo eam ne semel quidem admissam esse videas.

Jam ut normam, quam de accentu proposuimus, veram esse etiam exemplis demonstratur, non abs re erit, monumenta Scipionum emendata apponere, quanquam vix post Ritschelii egregiam operam in Mus. Rhen. IX, 1—19 de Mumm. titulo pag. 13, ind. schol. hib. 1853 pag. 8 quidquam novi proferre possum. Qua in re ita versatus sum, ut ab orthographia explicanda, jam satis a Grotefendio (app. gr. lat.) et Ritschelio passim exposita, nisi ubi evitare non potui, prorsus abstineam. Eorum primum editorem *Piranesium* quum adire non possem, exemplar secutus sum a *Viscontio* exhibitum Opere varie ed. Labus tom I, Milani 1818, a quo ubi discesserim aliorum aut meas emendationes recipiendo literis latius dispositis indicavi.

Inscr. L. Scipionis Barbati:

Cornélius Lucius Scipió Barbátus
 Gnaivód pátre prognátus fórtis vír sapiénsque,
 Quoiús formá virtútei párisuma fúit,
 Consól censór aídilis quei fúit apúd vos
 Taurásiá Cisaúna Sámmió cépit,
 Subígít ómne Lóvcana ópsidésque abdóvcit.

De i longa in Lucius, recurrente in sequente inscriptione cf. Ritschelium ind. schol. hib. 1853/54. Tertium versum ita ut scripsi metiendum propono invito Ritschelio, qui l. c. pag. 8 metiri vult:

Quoius fórna virtutei parísima fúit,

ut *quoius* ad similitudinem aliorum genitivorum alterius, alius i producat. Sed hoc quamquam antiquissimis temporibus in usu fuisse nemo negabit, tamen ea aetate, qua hoc monumentum exaratum est, valuisse probari non potest. Porro si tum in genetivo *quoius* i longa fuit, debuit etiam in dativo *quoiei* produci, quod contra fit in versu tertio monumenti L. Corn. Scipionis Cn. f. Cn. n., quem quomodo aliter metiar quam sic, nescio:

Quoiei vitá defécit nón honós honóre

quod si litteram i mediam in quoiei acuis, peccas contra quantitatis legem in verbo defecit, quod primam syllabam producit, non corripit. Haec si recte disputavimus metrum nos cogit, ut nominativi singularis terminationem *a* in *vita* et *forma* productam habeamus, cui rei eo minus quidquam obstat, quo certius est, antiquissimis temporibus ne posse quidem productam non esse cogitari. Etenim in antiqua forma genetivi primae declinationis in *ai*, exorta illa ex littera *a* ad radicem pertinente et terminatione genetivo propria *is* detrita consonante *s*, *a* producta est, idemque cadit in dativi formam *ai*, ut, si analogiam sequaris, nominativus singularis primae declinationis, principio apud masculina in *as*, apud feminina in *â* cum longa vocali *â* finitus esse videatur, quam deinde posteriorum usus corripuit: Exemplum nominativi in *as* praebet lex Numae Pompilii apud Festum pag. 221 M.: Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, *paricidas* esto, ubi littera *s*, quae in masculinis signum nominativi est, postea detrita est. Quae cum ita sint, intelligitur, etiam hanc longam nominativi terminationem ad multiplex illud genus syllabarum pertinere, quas Ritschelium Mas. Rhen. VIII, 488 quum per se longae essent, posterioribus temporibus correptas esse docuit demonstrans, poetas, qui eas in arsi productas adhiberent, non novi aliquid neque inauditum invenisse, sed antiquam formam sua ipsorum aetate jam abolitam in lucem revocasse. Quare jam non mirum est, ejusmodi licentias apud antiquissimum quemque poetam maxime usu venisse, quum quo antiquiore tempore admissae sunt, eo majorem excusationem habeant. In monumentis igitur Scipionum saturnio metro conscriptis, quod jam ipsum antiquitatis speciem prae se ferre videtur, qui eas non concedit, non habet profecto quo nitatur, Forma perfecti *fuit* producta penultima, quae etiam in sequente inscriptione occurrit, nata

ex antiquissima forma *fuit* littera *v* abjecta, apud Ennium saepius reperitur cf. *annal.* v. 440 Vahlen:

Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini

ibid. v. 242: magnam cum lassus dici

Partem fuisset de summis rebus regundis
Consilio inde foro lato sanctoque senatu

et apud Plautum cf. Ritsch, praef. ad Plaut, pag. 171. Rationem ejus ea qua solet doctrinae ubertate exposuit *Struve* de conjug. et decl. latina pag. 166 adn. 32. Formam *subigit* praesentem esse contra Hermannum epit. doctr. metr, pag. 222 evicit Ritsch, *Mus. Rhen.* IX. pag. 10.

Inscr. L. Scipionis Barbati filii:

Honc oino ploirumé coséntiént Római
Duonóro óptumó fuise viró Cornélio
Luciom Scipióne. Filiós Barbáti
Consól censór aidilis híc fúit apúd vos.
Hec cépit Córscicá Alériáque úrbe,
Dedét tēpestátebus aidé méreto.

In lapide, cujus unamquamque lineam totus versus explet, quum primus versus finiatur littera R, quartus littera A, suspicio in promptu erat, hanc inscriptionem non esse integram, primum inducta a Viscontio l. c. pag. 36, qui lapidem deficientia continentem olim ei, quae etiam nunc servatur, adjunctum fuisse putat allato exemplo monumenti Scipionis Hispani, item ex tribus lapidibus inter se conjunctis compositi. Cui damno mederi eo facilius fuit, quo verius Niebuhrius *hist. Rom.* I. pag. 285 observaverat, in antiquissima Romanorum poesi et omnium populorum totos versus sententiasque integras ex unius clari lateque provulgati carminis exemplo in communem usum poetarum transire. Quare non erit qui adversetur ex priore monumento v. 4 in hujus quarta versu *apud vos* reponenti, id quod viderunt jam primi horum monumentorum interpretes. Majore ambiguitate laborat, quid ad litteram R in primo versu supplendum sit, ubi quum alii *Romai* alii *Romane* conjecissent, Ritschelius l. c. hoc majorem vim efficere sententiae dixit, quod non intelligo. Jam vero sequitur difficultas gravissima posita in fine versus secundi, quem, quum haec sit lex saturnii versus, ut nunquam acuta syllaba, quam alia non acuta non excipiat, terminetur,

mutilum esse omnes interpretes viderunt in eo tantum dissentientes, quae vox ad sententiam et metrum restituendum supplenda esset. In quibus *Grotefendius* gr. lat. II. pag. 298, quem secutus est Ritsch. l. c. vocem *viroro* supplevit, quippe cujus similitudine cum praecedente voce *viro* inductus quadratarius eam plane omisisset. Nempe quominus crederet, *viroro* vocabulum in lapide monumenti, de qua supra diximus, non servata exstitisse, prohibuit, quod vocabulum *viro* longo intervallo ab margine dextra lapidis abest, ut cur spatium relictum sequenti voci non concessa sit, in obscuro sit. Sed Ritschelius ipse Scipionis Hispani exemplo allato docuit, in monumentis e lapidibus pluribus compositis interdum nulla necessitate cogente spatium ad finem unius earum relictum esse idque ita, ut saepenumero vocabulorum singulae syllabae dispescerentur. Muellerus vero suppl. adnot. ad Festum pag. 397. Grotefendii quidem *viroro* amplexus est, sed ita, ut in eo ultimam syllabam *ro*, quia penultima par fuisset, negligentia lapidarii omissam esse diceret, ita versum constituens;

Duonórum óptumúm — fúise viróro

quod falsum esse propter omissam, quae nunquam omittitur, thesín prius hemistichium claudentem demonstravit Ritsch. l. c. At enim vero quid necessario adsciscendum fuerit, nemo intellexit. Deest enim nomen gentile, quod in priore monumento praenomini Lucius antepositum est, unde conjicias, etiam hic praenomen excipere nomen gentile. Itaque si largiaris *i* in *Corneli* posse pinguescere, exiguam profecto largitionem, si tantum numerum similium reputes cf. Lachm. ad Lucr. p. 193, spondeo tibi versum antiquitus sic constitutum fuisse:

Duonóro óptumó fúise viró Cornélio
Luciom Scípione,

ubi supponitur, vocem Cornelio in altera lapide deperdita lectam fuisse,

Quod si verum est, A. Atilii Calatini titulus, a Cicerone Cat. maj. 17, 61 fin., 35, 116 commemoratus, non potuit ita exhiberi, ut Ritsch. l. c. statuit:

Honc oíno ploirumáí coséntiónt géntes
Poplei primárió fúise viró. Dictátor
Consól, censór aidílis híc fúit apúd vos,

ubi verba litteris latius dispositis impressa ex exemplo monumenti Scipionis addidit, sed ita:

Honc oíno ploirumáí coséntiónt géntes
Poplei primárió fúise viró, Atiliom
Aulóm Calatinom. Márci filiós, dictátor
Consól, censór, aidílis híc fúit apúd vos.

In quinto versu offenditur Ritsch. hiatu, quem intolerabilem dicit, hac mensione orientem

Hec cépit Córscá Alériáque úrbe

praesertim quum in Aleria e littera correpta sit. Itaque ut metrum constet, hoc quoque versu ait aliquid supplendum esse, fortasse *pucnando*:

Hec cépit Córscá Aleriáque urbé pucnándo

quod ut verum esse potest (cf. locutionem apud Plautum Amph. I, 1, 255 legiones vi pugnando cepimus), ita animadvertendum est, hiatum praecipue in caesura admitti ipso Ritschelio praecipiente neque in altero hemistichio omnium thesium omissionem quidquam offensionis habere. Idem cadit etiam in ultimum versum, in cujus altero hemistichio Ritschelio omissio thesium intoleranda visa est, quare eum ita exhibet:

Dedét tēpestátebus aide méretod vótum.

Inscr. L. Cornelii Scipionis Cn. f. Cn. n.:

Magná sapiéntiá multásque virtútes
Aetáte quóm párya pósidét hoc sáxsum,
Quoicéi vitá defécit, nón honós. Honóre
Is híc sitús, quei núnquam victus ést virtútei.
Annós gnatús viginti is Diteíst mandátus
Ne quairátis honóre, quei mínus sit náctus.

In lacunis hujus inscriptionis supplendis prorsus secutus sum Ritschelium de Mumm. titulo pag. 13, tantum in metro constituendo aliter versatus. Is enim quum ita versum mensus esset:

Annós gnatús viginti is Diteíst mandátus,

equidem ut accentus ratio servaretur, acui:

Annós gnatús viginti is Diteíst mandátus.

Inscr. P. Cornelii Scipionis. P. f.:

Quei apicem insigne diális fláminis gesístei,
Mors perfécit túa, ut éssent ómnia brévia,
Honós famá virtúsque, glória átque ingénium,
Quibús sei in lóngá licuísét tibe útier

Vitá, facíle superáses glóriám majórum.
 Quaré lubéns te in grémium, Scípío, récipit térra,
 Publí, prógnátum Públió, Cornéli.

Haec jam satis sunt ad accentus leges inscriptionibus confirmandas. Quod in animo fuerat, Livii Andronici fragmenta Odysssiae pro virili parte expolita proponere, ut intelligeretur, quam nulla necessitate priores editores ad metrum vacillans stabilendum conjecturas suas in textum inculcassent, id, ne hujus disputationis moles supra modum cresceret, non prorsus exsecutus sum; sed constiti in uno tantum vel potius duobus fragmentis libri duodecimi, quae etiam a viris acutissimis Scaligero et Hermanno in miserrima condicione esse relicta vidi. Legitur enim apud Festum s. v. *topper* pag. 352 M.

„Sinnius vero sic: *Topper fortasse* valet in Enni et Pacuvi scriptis. Apud „Ennium est:

„ — ◡ — ◡ — ◡ topper quam nemo melius scit,

„Pacuvius:

„Topper técum, sí potéstas, fáxsit, sí mecúm velít,

„ut in antiquissimis scriptis *celeriter ac mature*. In Odysssia vetere:

„Topper facit homines utrius fuerint

„Topper citi ad aedis venimus Circae simul duona eorum portant ad navis
 „millia alia in isdem inseruntur.“

In priore fragmento *Scaliger* egregie emendavit *veris sueris*, quum f et f litterae in codice Festi saepissime inter se permutentur. Neque minus recte *Muellerus* suppl. adn. ad Fest. pag. 397 pro *homines* antiquam formam *homones* restituit, etiam Enno usurpatam cf. *annal.* v. 141 V.

Volturus in spinis miserum mandebat homonem,

ut hic optimus saturnius prodiret:

Toppér fácit homónes vérís suéris

ubi haud scio annon cum *Muellero* inter *veris* et *sueris* particula *vel* interponenda sit.

Alterum vero fragmentum nescio quo pacto ad Homeri versus Odys. XII, v. 16 sqq. referre potuerit:

οὐδ' ἄρα Κίρκην
 ἐξ' Αἴδεω ἐλθόντες ἐλήθομεν, ἀλλὰ μάλ' ὦκα
 ἦλθ' ἐντυναμένη. ἅμα ἀμφίπολοι φέρον αὐτῇ
 σίτον καὶ κρέα πολλὰ καὶ αἰθόπα δῖνον ἐρυθρόν.

Nam quum in fragmento Ulixes cum sociis ad aedem Circae pervenisse dicatur, hic contra Circam ad illos concurrisse narratur. Tum quae in fragmento sequuntur verba, ea, ut nunc sunt, nullam sententiam continent ita similem his verbis Homeri, ut alius locus vel majorem similitudinem prae se ferre non posset. Immo vero corruptissima sunt. Pone enim, ut Scaliger et Muellerus fecerunt, verba a voce *topper* usque ad *inserinuntur* poetae esse, vel, ut Hermannus, certe usque ad *millia*, quid tandem subjectum verbi *portant* esse putas? Nempe nullum adest neque magis habemus, quo referamus pronomen *eorum*. Quare nihil certius esse videtur, quam duo fragmenta diversa in unum conflata esse, scilicet ommissa a negligente librario post vocem *Circae* particula *topper*, ut id ipsum factum est supra in fragmento Naevii exempli loco ad ejusdem particulae usum comprobandum allati: „Capesset flammam Volcani,“ ubi Muellerus rectissime dixit scribendum esse: „Capesset topper flammam Volcani.“ Nunc demum intelligimus prius fragmentum

Toppér citi ád aédem vénimús Circae

ex decimo libro esse, cum hoc Homeri versu conferendum v. 255:

Ἦρομεν, ὡς ἐπέλευες, ἀνὰ δρυμά, Φαίδιμί' Ὀδυσσεῦ'
 εὔρομεν ἐν βήσσησι τετυγμένα δώματα καλά.

Quae vero apud Sinnium sequuntur verba usque ad millia, ea Homeri versibus Odys. XII, 16 supra allatis parva opera accommodare poteris, si, ut subjectum assequaris, ex *simuld* feceris *famulae*, ut objectum, ex *uona vina* et ex *eorum carnem*, ita:

Tópper

Famuláe vína cárnem pórtant ád návím.

Praeterea scripsi *navim* pro *navis*, quia post cladem, quam naves Ulixi a Laestrygonibus perpressae sunt, una tantum navis ei supererat.

Verba denique, quae reliqua sunt: „millia alia in isdem inseruntur“ non Livii sunt, sed Festi vel ejus, quem ille excerpserat Sinnii, sic emendanda: „Multa alia in isdem inveniuntur,“ sc. exempla vocis *topper*, ut jam Hermannus vidit, praeterquam quod vocabulam *millia* ad Livii verba pertinere existimavit.